



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Saxonia Catholica, Hoc Est Christianae Fidei, Qvam Ad  
Salvtem Animarvm Aviti Avgvstae Domvs Saxonicae  
Principes, Reges, & Imperatores coluerunt, Gloriosa  
Confessio**

**Cutsemius, Petrus**

**Coloniae Agrippinae, 1621**

Otto IV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11884**

*Electus, Hildesheimensis Episcopus Imperialis aulæ  
Cancellarius, Abbas Fuldensis, Abbas Hesvoldensis,  
Abbas de Tergente, Abbas Ebuvacensis: Item  
Rex Bohemiæ, Dux Saxonie, Dux Bauariæ, Dux  
Austriæ, Dux Moraviæ, Marchio de Rauesbergh,  
alijque Alemnaiæ Nobiles &c.*

*Magnitudini vestræ duximus declarandum,  
quod mortuo inclito Domino nostro Henrico, Ro-  
mano Imperatore Augusto, collecta multitudine  
Principum, illustrem Dominum nostrum Philip-  
pum in Imperatorem Romani solij ritè, & solenni-  
ter elegimus. &c.*

Philippus interim quem reprobauit Pon-  
tifex, magno & cruento bello cum Ottone  
Regni competitore, dimicans, regnum per  
annos nouem, menses tres, & dies quatuor-  
decim tenuit ad necem usque, quam violen-  
ta manu ipsi Bambergæ in conclavi, post ve-  
næ incisionem nonnihil requiescenti, intulit  
Otto Comes Witelsbachius, (non ille à quo  
Principes Palatini, & Battari progenitore  
descendunt) Anno 1208. d. 21. (vel ut alij 22.)  
Junij.

## OTTÖ IV.

**Q**VA, vel quali autem Imperij Proceres  
inter se compositione defuncto illi pa-  
cifice & concorditer suffecerint in schismate  
antea colectum Ottonem, narrat Rogerius  
de Houeden, saeculi istius Historicus insig-  
nis,

nis, in Annal. in Richardo I. Rege Angliae.  
Defuncto, inquit, Imperatore, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Duces, Comites, & omnes ceteri magistrates Alemaniae in unum conuenientes, debent cuncti duodecim viros eligere communiter, & eos presentare Electio secunda Otttonis IV. facta est ex Archiepiscopo Colonensi & Archiepiscopo Moguntino, & Duci de Saxonia, & Comiti Palatino de Rheno, & quocunq; illi quatuor elegerint de predictis duodecim electis, erit Rex Alemannorum, & compro-  
missio.

\* Aquis-  
granū gal-  
licè aix la  
Chapelle.

Coronabitur apud \* Hays-capellam, vbi Carolus Magnus sepultus requiescit. Et hoc modo dictū Ottonē ad instantiā precum, & seruitij Richardi Regis Angliae receptū ait & coronatū: quem Romæ Papa Innocent. III. Augustū salutauit, & coronauit An. 1209. d. 4. Octob. vt Trithem. vel II. Octob. vt refert Onuphrius.

Arnoldus Abbas Lubecensis an. 1208. hist. Selatorū lib. 7. c. 15. alterā hanc Ottonis electionē concordē, magis planè reddit & simpliciter: *Indicta, inquit, est curia in Halberstat, vbi cōhenerat maxima pars Prælatorū, & Principū Saxonie, & Turingiae, nec defuit Herbipolensis Conradus. Omnes igitur Principes, qui conuenerant, ac si diuinitus inspirati, pari voto, & vnanimi consensu Ottонem in Rom. Principem, & semper Augustum elegerunt in nomine Patris, & Filij, & spiritus S. Archiepiscopo (Mog.) qui primam vocem habere videbatur inchoante, prosequente verò Bernhardo Duce (Sax.) cum Marchione Misnensi, & Landgratio Turingiae cum alijs, ad quos electio Regis pertinere videbatur, &c.*

Hic

Hic Otto an. Dom. 1209. inquit Author Fragmenti hist. rex pro imperiali benedictione tempore messum Romanum proficiscitur, qui etiam ab Innocentio Papa in Imperatorem consecratur, iuramento prius præstito, quod terram, & bona S. Petri, quæ sui antecessores usq; ad id temporis contra iustitiam tenuisse videbatur, R.E. libera dimitteret. An. Dom. 1210. Imperator non sano usus consilio rupit fœdus iuramenti, quod fecerat cum Papa & Romanis, occupando & vendicando sibi bona S. Petri contra pactum. Vnde à Papa sapientius admonitus, & correptus, desistere contempfit, & ob hoc meritam excommunicationis sententiā incurrit. Et infra: Videns igitur Papa pertinaciam Ottonis, quæ prius in omnibus fouerat & in altum sublimauerat, cum neq; pro absolutione, nec pro compositione aliqua laboraret, misit in Siciliam, & eduxit inde Fridericum, Henrici quondam Imperatoris filium, & literas suas direxit vniuersi terra Principibus, qui bus dedit in mandatis, ut eundem Fridericum loco Regis susciperent, & manutenerent, & in omnibus ei astarent, sibiq; transeunti per terras quisque suo loco conductum honorifice præberent, quod & factū est. Eadem referunt & alij scriptores coetanei, Conradus Abbas Vrsperg. Albertus Stadensis, quiq; eos sequuntur Ioh. Trithemius in Chron. Hirsaug. & alij.

## FRIDERICVS II.

**P**O R R O vt aliquid amplius cognoscatur de electione, vel susceptione Friderici,  
dicit